

per plures Consecrationes in pluribus altaribus. Sequitur 4. Quod plura accidentia solo numero distincta sint in eodem subjecto, scilicet plures actiones productivæ in eodem corpore Christi, ergo. R. Nihil horum sequi ex nostra sententia. Non primum; quia idem corpus, quod fuit primò productum ex Maria Virgine, reproductur ex pane. Nec est simile de vino in Cana Galileæ, quod fuit primò productum, ex aqua, & non ex vite, & idè non erat vinum de vite. Non secundum; quia corpus Christi non cadit in nihilum, cum alibi existat, sed tantum desinit esse sub istis speciebus panis. Tunc autem talis est desinitio, & simpliciter productæ, non verò quando est desinitio rei primò, & simpliciter productæ, non verò quando est desinitio rei de novo reproductæ, & prius existentis. Non tertium; quia, licet corpus Christi in coelo, & in Eucharistia sit idem substantialiter, non tamèn sub eadem formalitate, & eodem modo productum: unde in ratione effectus est formaliter distinctum. Quantum autem ad plures Consecrationes, cum sint tantum causæ instrumentales, non repugnat plures esse totales ejusdem effectus. Non quartum; quia plures istæ actiones productivæ non subjectantur in eodem corpore Christi eodem modo, & in iisdem circumstantiis sumpto, sed in eodem corpore diverso modo, & in diversis circumstantiis constituto, scilicet ex diverso pane, sub diversis speciebus, & in diversis locis, sicque non in eodem subjecto formaliter, sed materialiter tantum: seu, si mavis, in eodem quidem subjecto, sed æquivalenter multiplici; quia accidentia individuantur a subjecto eodem modo, & in iisdem circumstantiis constituto.

Petes 3. Utrum abstrahendo a verbis Consecrationis possit de Dei potentia absoluta corpus Christi esse præsens in Eucharistia absque conversione panis in ipsum? R. Hac in parte diviso esse Thomistas. Capreolus, Paludanus, Ferrariensis negant, propter quædam testimonia D. Thom. presertim in 4. d. 11. q. 1. art. 1. ubi videtur docere id implicare contradictionem, sicut si poneretur animal rationale non esse hominem. Affirmant Cajetanus, &

Soto, qui abstrahendo a verbis Consecrationis non videtur implicitantia, quod Deus producat corpus Christi in Eucharistia sacramentaliter præsens, & simul conservet substantiam panis, aut eam annihilaret. Undè ad D. Thom. dicendum, ipsum esse intelligendum in hypotesi, quæ de facto est, quod corpus Christi incipiat esse in hoc Sacramento absque sui mutatione. Hoc enim suppositum, verum est repugnare corpus Christi esse in Eucharistia absque conversione panis in ipsum, quia repugnat aliquid esse nunc, cum prius non esset, nisi, vel in se mutetur, vel aliquid in ipsum: sicut, quia Deus non mutatur, non potest esse de novo in creatura sine mutatione creaturæ. Cum ergo supponatur, corpus Christi non mutari, & aliter sit nunc, quam prius, necessario panis debet mutari per conversionem in ipsum. Ad extra præsentem hypotesin nihil repugnat, quod corpus Christi producat sub speciebus panis cum aliqua sui mutatione, non alterativa, aut corruptiva, sed perfectiva, & simul conservetur substantia panis, aut annihiletur.

Petes 4. Utrum Transsubstantiatio fiat in instanti? R. affirmativè: (Hic q. 75. art. 8. o.) quia mutatio est instantanea triplici ratione. 1. Ratione formæ, quæ non suscipit magis, & minus. 2. Ex parte subjecti, quando est in ultima dispositione. 3. Ex parte agentis, quod est infinite virtutis; atqui substantia corporis Christi non suscipit magis, & minus, non est in hac conversione subjectum, quod successivè præparetur, & agens, nempe Deus, est infinite virtutis: ergo. Eodem itaque instanti, quo desinit panis, incipit esse corpus Christi; sed istud instans est extrinsecum panis, & primum ejus non esse, & intrinsecum corpori Christi, ac primum ejus esse, quia desinit panis, desinente prolatione verborum, quæ, cum sit successiva, desinit per primum sui non esse, seu per instans extrinsecum; sicque panis, & corpus Christi non sunt simul in eodem instanti, sed idem instans, quod est primum non esse panis, est primum esse corporis Christi.

DISSERTATIO II.

DE ESSENTIA, ET UNITATE, ET INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

D. Thom. Quest. 73.

Aserta veritate realis præsentis corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia per Transsubstantiationem, ad alia, quæ hoc Sacramentum spectant, & hanc realem præsentiam præsupponunt, progredimur. Dicemus itaque cum Auctore 1. de ipso Sacramento secundum se, & ejus institutione. 2. de ejus materia. 3. de forma. 4. de effectibus. 5. de recipientibus. 6. de Ministris. 7. de ritu, seu Sacrificio.

ARTICULUS I.

In quo consistat Sacramentum Eucharistiæ?

Suppono tamquam certum, Eucharistiam esse Sacramentum: est enim signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis permanentè a Christo institutum: Est signum sensibile per species panis, & vini: est signum practicum gratiæ sanctificantis. Joann. 6. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Est a Christo permanentè institutum. Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Hæc autem constituunt Sacramentum. Hujus convenientiam hanc adfert Auctor (Hic q. 73. art. 1. o.) Deus non minus providet per Sacramenta in ordine gratiæ, quam per naturalia in ordine naturæ; instituit enim Sacramenta ad vitam spirituales secundum quandam proportionem, & similitudinem ad vitam corporalem: sicut ergo in ordine naturæ ad vitam corporalem confer per generationem Parentum, vitæ illius perfectionem per augmentum, & conservationem per alimenta; sic in ordine gratiæ ad vitam spirituales nos generat per Baptismum, perficit, & roborat per Confirmationem, nutrit, & conservat per Eucharistiam.

Id non inficiantur Lutherani, & Calvinistæ, si tamèn Calvinistæ dicendi sint, agnoscere aliquod verum Sacramentum, si quidem in nullo agnoscunt vim sacrificandi, sed tantum vim excitandi objective fidem, quæ justificatur. Differunt insuper a Lutheranis, quod isti admittunt præsentiam realem, Calvinistæ verò spirituales tantum. Verùm, quia in hoc Sacramento duo generantur considerari possunt, scilicet actiones transientes, quorum præcipuæ sunt consecratio, & sumptio, & res permanentes, quæ sunt species panis, & vini; corpus, & sanguis Christi: Quæstio est, in quo ex his consistat Sacramentum? Du-

plici sensu movetur quæstio. 1. Utrum statim post Consecrationem sit realiter præsens corpus Christi independentè ab usu, seu sumptione, consequenter à Sacramento consistat in re permanente, & non in actione transeunte? Negant Lutherani, & Calvinistæ; ex quo inferunt, hostiis reservatis nullum cultum esse exhibendum. 2. Posito, quod corpus Christi sit realiter præsens statim post Consecrationem, & ante sumptionem, quodnam ex quatuor assignatis, scilicet Consecratione, sumptione, speciebus, & corpore Christi habeat rationem Sacramenti; quod controversitur inter Doctores Catholicos. Utramque difficultatem duplici §. resolvemus.

§. I. Utrum Sacramentum Eucharistiæ consistat in re permanente, an in usu tantum?

Dico. Sacramentum Eucharistiæ consistit in re permanente, & non in usu, vel sumptione. Est de fide decisa in Concil. Lateran. cap. Firmiter, Florent. in Decreto unionis, & Trid. sess. 13. c. 3. & 6. & Can. 4. his verbis: Si quis dixerit, peracta Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem servantur, vel superstunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

Prob. 1. auctoritate, & ratione, quæ utitur Trid. Sess. 13. c. 3. cit. Tunc est Sacramentum Eucharistiæ, quando est corpus Christi præsens sub speciebus panis; atqui ante usum, seu sumptionem est corpus Christi præsens sub speciebus panis: ergo. Prob. Min. Tunc est corpus Christi præsens sub speciebus panis, quando Christus dixit: Hoc est Corpus meum, alioquin dixisset falsum; atqui hoc dixit Christus, antequàm Apostoli manducarent: ergo. Prob. Min. quam negant Lutherani. 1. Christus invitabat Apostolos ad manducandum, & bibendum hoc motivo, quòd cibus, quem offerebat, esset corpus suum, & potus sanguis suus, ut patet ex particula causali enim in forma sanguinis apud Matth. c. 26. Bivite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus. 2. Quia ex eodem calice omnes successivè biberunt, ut patet ex his verbis Luc. 22. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos: & Marc. 14. Bi-

Biberunt ex illo omnes; atqui Christus non toties dixit: Hic est sanguis meus, quoties biberunt, sed semel tantum: ergo.

Respondent Lutherani, Christum prius dedisse cibum & potum Discipulis, quam diceret: Hoc est corpus meum, ex Matth. 26. Canantibus autem eis, accepit Jesus panem & benedixit, ac fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Ergo erat tunc tantum corpus Christi præsens, cum comederent. Sed contra 1. N. Cons. Esto enim Christus prius dederit Discipulis cibum, antequàm diceret: Hoc est corpus meum, non sequitur Discipulos illum manducasse, antequàm illa proferret, imò contrarium certò constat, alioquin non manducassent corpus Christi, aut ibi fuisset ante prolationem formæ, sicque argumentum manet in suo robore. 2. N. Ant. Si enim ex verbis laudatis Matthæi colligeretur, Christum prius dedisse cibum manducandum, quam diceret: Hoc est corpus meum, pariter ex his Marc. 14. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis. Hic est enim sanguis meus, concludendum foret, Christum non esse præsentem nisi post manducandum, aut esse præsentem ante prolationem formæ, ut jam modò dicebam; quod est absurdum, & non admittunt Lutherani. Fateantur ergo non ex serie sed ex sensu verborum colligendum esse, quòd Christus prius ante posterius fecerit, sensus autem verborum apertiè exigit ipsum ante dixisse hoc est corpus meum, quam porrigeret Discipulis manducandum, ut constat ex probatione.

Respondent & fatentur Calvinistæ, equidèm Christum hæc verba protulisse, antequàm daret manducandum; at dicunt non esse absolutè, sed hypotheticè & promissoriè, scilicet Hoc est corpus meum, si manducabitis. Sed contra. Nemo non videt, hanc interpretationem esse prostrata sitam & merè ad effugiendum excoGITATAM, contortam, & textui manifestè vim inferentem. Non enim dixit Christus: Hoc erit corpus meum, si, &c. sicut debuisset, dicere, si locutus fuisset hypotheticè & promissoriè, sed dixit absolutè: Hoc est corpus meum.

Prob. 2. ex perantiqua praxi Ecclesiæ, Eucharistiam sive domi, sive in templis asseverantis, adorantis, & ad Infirmos, ac alios absentes deferentis. Hujus praxis testes sunt Justinus Martyr Apolog. 2. ubi dicit, Eucharistiam per Diaconos ad absentes perferri. S. Irenæus Ep. ad Victorem Papam apud Euseb. l. 5. Hist. c. 24. dicit, Eucharistiam transmitti ad alios in signum pacis. Tertull. l. 2. ad uxorem c. 5. hortatur illum, ne post obitum suum ducat Infidelem, & inter alias rationes hanc proferit: Non sciret, inquit, Maritus, quòd secreto ante omnem cibum gustes: & si sciverit, panem non illum esse credet quòd dicitur, id est, corpus Christi. S. Cyprianus serm. de lapsis narrat, quòd cum mulier, tempore persecutionis lapsa, arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est: Dionysius Alexandr. Ep. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. l. 6. c. 36. scribit, Sacerdotem, ex infirmitate incedere non valentem, puero Eucharistiæ exiguum partem dedisse, præcipiendo, ut eam manducaret in os senis Serapionis infunderent. S. Basiliius Ep. 28. ad Cæsarem Patriciam refert, tempore persecutionis fideles in cryptis latitantes sportare secum Eucharistiam, quam premente periculo sumebant, & ut hunc morem propugnet, addit, eos omnes, qui per eremum vitam monasticam instituant, ubi copia Sacerdotis non competit, cum habeant Domini communionem, de suis manibus illam percipere. Concilium Nicenum l. Can. 13. postquam dixit, lapsis dandam esse communionem in exitu, addit: In summa autem de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petente, cum examinatione oblationem imperitat. S. Ambrosius in Oratione funebri pro fratre suo Satyro narrat, illum fracta navi petiisse Dominicum Sacramentum, & in Orario ligari fecisse, mœque in mare se projecisse, undè favente Deo, evasit incolumis. S. Chrisost. Ep. ad Innoc. Papam de militibus ab Imperatore missis, ut ipsum trucidarent, sic scribit: Locum, in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatis mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant: quin & testes sumus, quòd Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in predicatorum militum vestes effusus est. S. Cyrill. Alex. Ep. ad Calosyrium: Aliquis esse audio, inquit, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem servare dicant, sic quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insanum vero, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas & vivificans gratia perpetua in illo existit. Hieron. Ep. 4. ad Rusticum laudat Exuperium Episcopum Tolosanum, qui ob voluntariam paupertatem corpus Christi in canistro portare cogebatur: Nihil, inquit, illo ditius, qui corpus Domini canistro vimine, sanguinem portat in vitro. Item hujus praxis testes sunt columnæ & turres aetææ vel ætemæ in templis susceptione, in quibus servabatur corpus Christi, quantum meminerunt Amphiloehus in vita S. Basilii. Greg. Turonens. l. 1.

de gloria Martyrum c. 86. Concil. Constantinop. sub Mena ann. 536. Turonens. 2. ann. 567. &c.

Tot testibus & pluribus aliis, quos, ne longior sim, omitto, victus Calvinus libr. 4. institut. c. 17. §. 39. Qui sic faciunt, inquit, id est qui servant Eucharistiam, habent, fateor, veteris Ecclesiæ exemplum. Verùm in re tanta, & in qua non sine periculo erratur, nihil tutius quàm veritatem sequi. Insolens Responsum! Quasi verò non foret tutum & tutissimum veteris Ecclesiæ ab Apostolis & Patribus formatæ vestigia premere, quàm hesternæ Novatoriensis somnia sequi. Si ita sit, concussa semel veritatis columna, nihil est, quod cuiuscumque profanæ novitati opponi possit, nosque omni vento doctrinæ circumferri necesse est. Mos autem privatim servandi Eucharistiam nunc in universa Ecclesia propter varios abusus abrogatus est. Quidam arbitrantur, abrogatum fuisse a Synodo Cæsaraugustana ann. 381. Alii volunt, hujus Synodi prohibitionem spectare tantum Priscillianistas, & hunc morem in pluribus Ecclesiis adhuc viguisse sæculis sequentibus usque ad 12. ex variis monumentis, quæ citantur apud Honorat. Tournely hic q. 4. art. 2.

Prob. 3. rationibus Theologicis. 1. Eucharistia est Sacramentum institutum per modum cibi spiritualis animæ; ergo, sicut cibus corporalis, licet ad usum sit ordinatus, est quid permanentis, habetque vim completam nutriendi ante sumptionem, sumptio autem est tantum conditio requisita ut de facto nutriat; ita Eucharistia, licet ordinata ad usum est quid permanentis, habetque ante sumptionem vim completam nutriendi spiritualiter animam, & ejus sumptio est tantum conditio requisita, ut de facto nutriat. Constat. Res ordinata ad usum non est ipse usus, sic panis non est comestio, potentia videndi non est visio: ergo similiter. 2. Verba consecratoria efficiunt, quod significant; atqui pronuntiantur a Sacerdote ante usum, & significant esse corpus Christi: ergo ante usum efficiunt corpus Christi & Sacramentum. 3. Si usus sit de essentia Sacramenti, sequitur, quòd recipientes conficiant Sacramentum non minus quàm Ministri, manducatio enim tota se tenet ex parte recipientium. Absurdum Consequens: ergo.

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. Constat ex pluribus antiquis monumentis, nihil olim reservatum fuisse de Eucharistia, sed id, quod post communionem publicam restabat, vel consumi a Clericis, vel comburi, vel tradi pueris innocentibus. 1. Clemens Romanus Ep. 2. ad Jacobum Fratrem Domini relata de consecr. d. 2. c. 23. Tanta, inquit, in Altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur. Similiter Hesychius l. 2. in Levit. Nicephorus l. 17. c. 25. & c. 2. Origenes hom. 7. in Levit. dicit, quòd panem, quem Christus dedit Discipulis, non distulit, nec servari iussit in crastinum. 3. S. Cyprianus l. de Coena Dom. dicit: Panis iste recipitur, non includitur. 4. Venerab. Befa l. 4. Eucharistiæ historix c. 14. refert, Apostolos apparuisse puero ægro-tanti, eique dixisse, ut expectaret, donec Missa celebraretur, ut viatico corporis Domini reficeretur. 5. Concil. Cæsaraug. ann. 381. & Toletanum 1. ann. 400. prohibent, servari particulas Eucharistiæ. R. 1. hanc objectionem non impetere directè Conclusionem nostram, sed tantum secundam probationem petitam ex praxi Ecclesiæ, quæ etsi invalida foret, staret nihilominus probatio ex aliis capitibus. Sed & hæc obsecro magis nocet, quàm faveat Hæreticis. Ut quid enim tanta cura circa particulas residuas post communionem publicam, ut vel cum timore & tremore consumerentur, vel comburentur, vel traderentur pueris innocentibus, si non sint Sacramentum, nec corpus Christi continent? Item, qua fronte Hæretici obijciunt nobis testimonia, quibus probatur contra ipsos Sacrificium altaris, Missa, & Viaticum? R. 2. Testimonia, quæ pro praxi Ecclesiæ protulimus, apertiùs sunt & expressiora, quàm ut his, quæ opponuntur, possint infringi; idque est mirandum & culpandum in Calvinistis, quòd Principem suum Calvinum hæc in parte oscitantia arguant, seque ipso oculatoribus jactent. Fateatur enim Calvinus, ut vidimus, eos, qui servant Eucharistiam, habere veteris Ecclesiæ exemplum. Itaque ad singula descendamus.

Ad primum, 1. Epistola Clementis cum aliis Decretalibus veterum pontificum suppositicia nunc ab Eruditis reputatur. Vide Digress. 2. ad 1. Diss. Tractatus nostri de Jure & Justitia 2. Dato, esse genuinum, in eadem legitur: Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo interveniat in sacrario, ne cum id negligenter agitur, corpori Domini gravis injuria inferatur. Sensus ergo, verborum in objectione non est, quòd nihil omnino de Eucharistia reservetur, sed nihil post sepositas particulas, quæ pro Infirmis reservan-

bantur. Idem est sensus Hesychii & Nicophori. Insuper observandum est, quod dum apud aliquos Patres aut quaedam Concilia legitur prescriptum, reliquias Eucharistiae esse comburendas, vel pueris tradendas, aut a Clericis consumendas, aliquando intelligant reliquias, quae jam aliquandiu servabantur, quas jubent renovari, & alias recenter consecratas substituit, ne quid putredinis, aut indecori obvenerit: vel etiam quandoque intelligunt minutiores particulas, quae decenter servari non possunt.

Ad 2. N. Conseq. Quamvis enim Christus non jussit servari Eucharistiam in crastinum, ut dicit Origenes, quia id tunc non conveniebat imminente cruento proprii corporis Sacrificio, non sequitur id non posse fieri, nec dixit Origenes: plura enim, quae non fecit, nec jussit Christus, Ecclesiae suae prudentia determinanda reliquit. Aliud nihil aliud illic intendit Origenes, quam quod Sacrificium laudis debeat esse recens & spirituale; ad quod probandum utitur exemplo tum Christi, qui panem consecratum statim distribuit Discipulis, tum praecipit Apostolis impositi, ne panes portarent in via, tum damnationis Gabonitarum, qui panes veteres ad Israelitas detulerant. Numquid fortiter Origenes contendit, non licere nunc portare panes in via, aut veteribus uti? Minime; sed adhibet haec exempla, quantum ejus intentum aliquo modo adjuvant.

Ad tertium. 1. Hoc opus non est Cypriani, sed Arnoldi Brixiensis. 2. Sensus hujus Auctoris non est, quod Eucharistia non possit includi in vasis, sed quod non ita in recipiente includatur, quia alii possit communicari. Patet ex contextu. *Aequa*, inquit, *omnibus portio datur, integer erogatur, distribuitur, non demembratur; incorporatur, non injuriatur; recipitur, non includitur; cum infirmis habitans non infirmatur.* Ad Quartum Quidam respondent, Bedam loqui de Monasteriis, in cujus sacello Eucharistia non servabatur. Sed quidquid sit, ex hoc facto non sequitur non servari Eucharistiam, sed dumtaxat Apostolos monuisse hunc puerum, ut expectaret tempus Sacrificii, quod cum majori devotione & fructu vaticum reciperet. Ad Quintum Synodi Caesaraugustanae & Toletanae non prohibent asservari Eucharistiam, sed jubent Fidelibus ut in Ecclesia communicent, & ut non asportent secum Eucharistiam, ut quandoque fieri solebat; idque, ut quidam volunt, spectabat tantum Priscillianistas, qui ut Catholici apparent, sumebant manibus Eucharistiam, postea illam sacrilege abieciabant, idque colligunt ex Concilio Tolet. II. ann. 675. can. 11.

Obj. 3. Omnia alia Sacramenta consistunt in usu: ergo & Sacramentum Eucharistiae. R. N. Conseq. 1. Quia Sacramenta ex voluntate Christi instituentis inter se specie differunt; unde non est mirum, aliquid uni convenire, quod aliis non convenit: imò sic esse necessarium est; neque in his, quae sunt Juris positivi, ab uno ab aliud valet argumentum. 2. Omnes aliorum Sacramentorum formae actionem transcendent essentialiter important, ut te baptizo, te confirmo, te absolvo, &c. Forma autem Eucharistiae non importat actionem, sed quid permanens, *Hoc est corpus meum*. Et quamvis hoc dicatur in ordine ad actionem, eum scilicet, cibum tamen est aliquid permanens; & comestio est tantum conditio requisita, ut de facto nutriat. 3. Alia Sacramenta consistunt in applicatione formae & materiae ad subjectum, quod instrumentaliter sanctificant; Sacramentum autem Eucharistiae consistit in applicatione formae ad materiam, quam consecrat; (*Hic q. 73. art. 1. o.*) unde continent in se aliquid sacrum absolute, scilicet corpus Christi, quod tale est independentem ab hominis sanctificatione, cetera vero Sacramenta continent aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum.

Instr. Christus hoc Sacramentum instituit, ut mandocentur a Fidelibus: ergo extra manducationem inutiliter existit. R. N. Conseq. Perinde est enim ac si argeretur panis factus est, ut mandocentur: ergo inutiliter existit extra manducationem; quasi verò non debeat existere, priusquam mandocentur. Itaque, ut jam saepe dictum est, Eucharistia est instituta, ut mandocentur, ita quod manducatio sit conditio requisita, ut de facto nutriat, non autem quod sit illius constitutiva; cum cibum sit cibum, antequam comedatur.

CONSECTARIA.

De Adoratione Christi in Eucharistia.

Lutherus L. ad Waldenses adorationem Christi in Eucharistia liberam permittit. Melancthon in Apolog. tit. de Cena Dom. illam in usu tantum permittit. Lutherani posteriores & Calvinistae neque in usu, neque extra u-um illum permittunt, voluntque illam esse meram idololatriam. Contra quos ex dictis colligit. 1. Eucharistiam esse palam à Fidelibus adorandam. Si enim Christus homo Deus sit permanentem praesens in Eucharistia, communissimus Religionis sensus, & ratio na-

turalis indicant & jubent cultum laetiae illi esse exhibendum, sicut exhibebatur, dum inter homines conversabatur, atque exhiberetur, si visibilis in terris, nunc apparet. Ita decrevit Trid. sess. 13. c. 5. his verbis: *Nullus itaque dubitandi locus relinquatur, quin omnes Christi Fideles pro more, in Ecclesia Catholica semper recepto, Latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibent. Neque enim idem minus est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum cum Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procedentes adoraverunt; quemque denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. Hunc morem & praxim antiquam Ecclesiae testantur SS. Patres. S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 3. Mystag. dicit, eum, qui accepturus est Eucharistiam, debere accedere *Primum*, adorationis in modum. Ambros. l. 7. de Spiritu S. c. 12. Itaque, inquit, per scabellum terrae intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. *Hoc corpus in praesepi reveriti sunt Magi... imitemur saltem barbaros, nos qui colorum civis sumus... Tu verò non in praesepi, sed in altari... vides. Et homo in Ep. ad Ephes. Adora & communica.* Aug. in Ps. 98. *Nemo illum carnem manducat, nisi prius adoraverit.**

Objiciunt 1. Hæretici. Christus instituit hoc Sacramentum, ut sumatur, non ut adoretur. Respondet Trid. cit. quod, quamvis sit institutum, ut sumatur, sit nihilominus adorandum, quia est idem ille homo Deus, quem Angeli, Magi, & Apostoli adoraverunt.

Reponunt. Non est præceptum adorandi, sed manducandi. R. Non requirit speciale præceptum adorandi, hoc ipso quod constat esse ibi hominem Deum praesentem, quia hanc adorationem judicant & jubent Religio & ratio, ut dictum est. Absque speciali præcepto, solo Religione & rationis ductu ipsum adorare Magi in praesepi, Coecus in Templo, Cananæam in via, Nauta in navi, Apostoli in Galilæa.

Urgent. Eucharistia instituta est per modum convivii, & sic aliquando celebrata fuit, ut convivere sederent, & sedentes sumerent, ac manducarent. Esto: quid inde? Restat probandum Hæreticis, convivis, priusquam sederent, aut dum sederent, non adorasse, quod nunquam evincunt.

Objiciunt 2. Adoratio Christi in Eucharistia non fuit in usu primis Ecclesiae saeculis: ergo. Prob. Ant. 1. Si adoratio Eucharistiae fuisset in usu primis Ecclesiae saeculis, eam SS. Patres opposuissent Arianis, ut contra ipsos probarent divinitatem Christi; atqui non opposuerunt: ergo. Prob. 2. idem Ant. Si adoratio Christi fuisset in usu primis Ecclesiae saeculis, Ethnicis inde arripuissent ansam defendendi cultum Idolorum retorquendo in Christianos, quæ Christiani ipsi objiciebant. Objiciebant Christiani Ethnicis eorum Deos in ligno & metallo concludi, eos ligna, & lapides, aut opera hominum, quæ habent aures & non audiunt, oculos & non vident, adorare, aliqua consecratione numina simulacris adesse, Deos, quos colunt, posse frangi, cremari, putrefieri. Hæc, inquam, Ethnicis potissimum in Christianos retorquere, nimirum eos pariter Deum suum in terrena substantia concludere, panem & vinum atque opus hominum colere, Deum illorum consecratione panis & vino adesse, eumque posse frangi, cremari, &c. ergo. R. N. Ant. Ad 1. Probat. N. Maj. Ideo enim SS. Patres hanc adorationem Arianis non opposuerunt, quia ipsimet Ariani Christum esse adorandum dicebant, licet ipsum Deum non agnoscerent, & idem Idololatriæ inculpantur a SS. Patribus Aug. l. contr. Maximam, Athanasio orat. 1. contra Arianos, & Ambrosio l. 1. de fide c. 7. ubi dicit: *Aut igitur desinant colere, quem creaturam appellant; aut desinant, quem colere se simulant, dicere creaturam.* Ad 2. Probat. R. 1. Hæc olim adhibita fuisse ab Ethnicis contra adorationem Verbi Incarnati, ut pariter suorum Idolorum cultum defenderent, ut constat ex Origene l. 3. contr. Celsum. Et revera par, quin imò majori similitudine militant contra adorationem Verbi Incarnati, quam Christi in Eucharistia praesentis, ut consideranti patet. Unde ex hoc argumento, si valeret, sequeretur Christum, sive in terris degentem, sive nunc in caelis regnantem, non fuisse, nec esse adorandum; quod non admittunt Hæretici. R. 2. Absolutam ac immensam esse disparitatem inter adorationem Christi in Eucharistia & cultum Idolorum. 1. Ex parte objecti. Dii Gentium erant falsi Dii & homines peccatores; Christus est verus Deus. 2. ex parte circumstantiarum. Ethnicis existimabant, sua simulacra esse vel corpora suorum Deorum animata, quibus ideo divinos honores deferrebant, sicut ligna, lapides, & opera hominum colebant: ex Aug. l. 8. de civit. c. 23. & Arnobio l. 6. vel sedes suorum Deorum, ad quas incantationibus magicis, aut humano imperio, ac virtute colunt deserentes descendebant, & in quibus sic concludebantur atque alligabantur, ut

ut recedere pro libitu non possent. Ex eodem Arnobio cit. & Eusebio l. 5. de prepar. Evang. Vel denique existimabant, suos Deos esse partes ac virtutes, seu quasi membra magni Dei, scilicet Jovis, quem Mundi animam esse putabant: ex Aug. l. 4. de Civit. c. 11. At verò species Eucharistiae non sunt corpus Christi, neque virtute magica aut humana, sed divina illis adest, non aligatus aut coarctatus, divinitas enim ejus est ubique, corpus est in caelo, & in omnibus aliis Hostiis consecratis; & quamvis species possint frangi, comburi, &c. non tamen divinitas, neque corpus Christi, quod ibi est ad modum spirituum impassibile & incorruptibile.

Instr. Christiani adorant species; atqui species sunt quid creatum: ergo. R. Secundum plures Theologos, solum Christum & non species adorari. Communior tamen opinio est, eas adorari cum Christo pro modum unius, non tanquam objectum motivum, sed terminativum tantum adorationis; sicut humanitas Christi unita divinitati adoratur ratione divinitatis conjunctæ. Quòd si species considerentur sine conjunctione ad Christum, sed praesens ut sunt Sacramentum institutum ad nostram sanctificationem, non debent coli latria, sed aliquo cultu inferiori, ut: quaedam res sacra, sicut alia Sacramenta.

Coliges 2. Conveniunt, ac religiosè institutum esse in Ecclesia Festum Corporis Christi, illudque in supplicationibus circumgestari. Sequitur pariter ex dictis. Si enim corpus Christi sit permanentem praesens in Eucharistia, nihil magis congruum ac religiosum est in augmentum Festi colatur ac in tanti beneficii memoriam, quam ut speciali Festo colatur, atque solemniter veluti triumpho publice circumferatur. Ita Concil. Trid. c. 5. cit. his verbis: *Declarat præterea sancta Synodus, pie ac religiosè admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, ut singulare Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, atque in Processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Aquisitum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes, singulari, ac rara quadam significatione, gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem, pro tam ineffabili & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus representatur. Atque sic quidem oportuit victicem veritatem de mendacio & heresi triumphum agere; ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris & in tanta universa Ecclesiae letitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando respiciant.*

De Origine, ac institutione hujus Festi, necnon de Auctore illius Officii, dicam infra in Digressionem historicam.

§. II. Quid habeat propriè rationem Sacramenti in Eucharistia.

Questio est, ut dixi, de consecratione, sumptione, speciebus consecratis, & corpore Christi. Quidam ergo rationem & essentiam Sacramenti reponunt in Consecratione; quidam in sumptione; quidam in speciebus consecratis; quidam in ipso corpore Christi; quidam in corpore & speciebus simil.

Dico. Species consecrata, ut continent corpus & sanguinem Christi, constituunt totam essentiam Sacramenti Eucharistiae. Est communior inter Thomistas, quibus adherent plures extranei. Observandum tamen, alia assignata, scilicet consecrationem, corpus Christi, & sumptionem non se habere merè accidentaliter ad rationem Sacramenti, sed esse essentialiter connotata extrinseca; species enim consecratae dicunt essentialiter ordinem ad consecrationem, seu prolationem verborum tanquam ad causam efficientem, imò & formalem, quatenus per verba sunt determinata ad significandum & continentium corpus Christi. Quo ultimo sensu potest dici, verba ut virtualiter moraliter permanentia pertinere etiam ad essentiam Sacramenti, & ita intelligimus per species formaliter ut consecratas. Item dicunt essentialiter ordinem ad corpus Christi, ut ad significatum & contentum, & tandem ad usum, sicut cibum ad manducationem, qua de facto nutriat. Dicimus tamen, quòd nullum ex his constituat essentiam Sacramenti, nisi, ut observavi, forma ut moraliter virtualiter perseverans in determinatione specierum ad significandum & continentium corpus Christi; sed id, ut etiam dixi, intelligitur per species formaliter ut consecratas. Hac observatione praemissa, quæ solutionibus argumentorum viam aperit.

Prob. Conclusio: 1. Impugnando alias Sententias. 1. Consecratio non constituit intrinsecè essentiam Sacramenti; quia vel sumitur pro actione conversiva panis in corpus Christi, & sic est quid insensibile & transiens, consequenter neque Sacramentum, quod est signum sensibile, neque Sacramentum Eucharistiae, quod est res permanens: insuper quod efficit cibum, non est cibum; Eucharistia autem est cibum: item non est immediate signum practicum gratiae, sed tantum materiae consecrativum. Vel sumitur consecratio pro prolatione verborum, & sic potest

considerari dupliciter: Ut est instrumentum ministri; & sic pertinet ad causam efficientem, estque, ut ante, actio transiens & efficiens cibum, ideoque non cibum ipse permanens; neque immediate significans & causans gratiam, sed tantum consecrans materiam. 2. Potest considerari prolatio verborum ut forma determinans materiam, scilicet species panis, ad significationem & continentiam corporis Christi: & cum ista determinatio moraliter permaneat, sicut significatio semel imposita alicui voci semper virtualiter moraliter remanet; hoc sensu potest dici, quòd verba sacramentalia ingrediantur essentiam Sacramenti ut forma: id quidem non appositum in Conclusionem; quia, ut dixi, intelligitur per species formaliter ut consecratas.

2. Corpus Christi non constituit essentialiter Sacramentum. 1. Quia non est per se sensibile: 2. & præcipue, quia non est Sacramentum tantum, de quo loquimur, sed res & Sacramentum; consequenter effectus Sacramenti; effectus autem Sacramenti supponit Sacramentum constitutum, non constituit. Confirm. 1. Sacramentum Baptismi non consistit essentialiter in characterem, neque simil in characterem & ablationem; quia character est res & Sacramentum, ideoque effectus Sacramenti jam constituit per ablationem sub præscripta verborum forma: ergo similiter. Confirm. 2. Eucharistia dicitur passim a SS. Patribus & communiter Sacramentum corporis Christi; atqui corpus Christi non potest dici Sacramentum corporis Christi: ergo. 3. Sumptio non constituit Sacramentum; tum quia prolatis verbis sacramentalibus est Sacramentum ante sumptionem; tum quia cibum supponitur, antequam comedatur; tum quia solus Sacerdos est conficiens Sacramentum, & non ipse solus sumit. Hæc fuit §. præced. Restat igitur, solas species ut consecratas constituere essentiam Sacramenti.

Prob. 2. Sacramentum est signum sensibile practicum gratiae; atqui species sunt sensibiles, gratiam cibantem significant, & causant instrumentaliter: ergo significant etiam corpus Christi praesens, licet non causent, non enim est necesse, quòd Sacramenta causent omne, quòd significant; significant quippe omnia Passionis Christi mysteria, quæ tamen non causant. Huic Sententiae favet S. Thom. hic q. 73. art. 6. o. Ubi dicit, quòd in hoc Sacramento tria considerare possumus, scilicet id, quòd est: Sacramentum tantum, quòd est panis & vinum: id est, species panis & vini. Illam aperit tradit Catech. Rom. p. 2. tit. de Euchar. n. 8. his verbis: *Diligenter observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando Sacramenti nomen sacri Scriptores tribuerunt. Interdum enim consecratio & perceptio frequenter vero & ipsum Domini corpus & sanguis, qui in Eucharistia continentur, Sacramentum vocari consuevit: inquit enim Aug. Sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementarium specie, & invisibili carne & sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi: atque ad eundem modum hoc Sacramentum adorandum esse, nimirum corpus & sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia minus propriè dici Sacramenta perspicuum est: ipsa autem panis & vini species veram & absolutam hujus nominis rationem habent.*

Solvuntur objectiones.

Obj. cum Sylvio. S. Thom. in 4. d. 8. q. 1. art. 1. question. 1. ad 2. dicit: *Ex speciebus & corpore Christi fit unum Sacramentum.* Iræneus l. 4. c. 34. dicit: *Eucharistiam duobus rebus constare, terrenam & celestem.* In cap. Hoc est de Consecrat. d. 2. dicitur: *Sacrificium Ecclesiae duobus constare, scilicet visibili elementarium specie & invisibili Domini Jesu carne.* Item hoc Sacramentum adoratur latria: dicitur corpus Christi, panis vivus, panis Angelicus, cibum animæ, excellentissimum omnium Sacramentorum. Hæc autem omnia non conveniunt solis speciebus, sed corpori Christi, vel corpori Christi simul cum speciebus, ergo. R. His omnes locutiones verificari absque eo quòd corpus Christi sit pars essentialis & intrinsecè componens hoc Sacramentum; ad id enim sufficit, quòd sit essentialiter extrinsecè connotatum ut contentum & significatum: cum ergo SS. Patres & S. Thom. dicunt, hoc Sacramentum constare ex speciebus & corpore Christi, equidem constat ex utroque, sed non eodem modo, speciebus in recto & ut intrinsecè constitutibus, corpore Christi ut in obliquo & essentialiter connotato, eo modo quo objectum pertinet ad specificationem potentiae, & signatum ad speciem signi. Similiter hoc Sacramentum dicitur corpus Christi, panis vivus, sed accipiendum contentum pro continente, signatum pro signo; sicut, si ostendo dolio, dicimus, hoc est vinum. Item adoratur latria ratione rei contentæ, quæ conjuncta est speciebus, quasi sub velaminibus per modum unius: sicut Verbum Incarnatum adoratur cum humanitate, non separando humanitatem a Divinitate, licet tota ratio adorandi sit Divinitas, ut dicitur in Tract. de Incarn. Sicut enim Rex vestitus honoratur cum veste, non separando vestem a Rege, licet tota ratio ho-

honorandi sit in Rege; sic, inquam, totum hoc Sacramentum, adoratur per modum unius, licet tota ratio adorandi sit ipsa res contenta.

Obj. 2. Contritio interior est insensibilis: item est res & Sacramentum; & tamen his non obstantibus est pars essentialis constitutiva Sacramenti poenitentiae: ergo invalida sunt rationes, quibus excludimus corpus Christi a ratione Sacramenti. R. 1. quod, licet contritio interior non sit per se sensibilis Sacerdoti, est tamen per se sensibilis poenitenti, qui illam actu experitur. In Sacramento autem, cujus materia sunt actus poenitentis, sufficit, quod id, quod dicitur pars Sacramenti, sit alicui sensibilis, quamvis Sacramenta, quorum tota materia exterius exhibetur, eam esse absolute sensibilem requirant. Ita Contenson. Ad 2. D. Maj. Contritio interior per confessionem dolorosam sensibilis, ut concipitur nondum formata per gratiam, est res & Sacramentum, N. Sic enim est Sacramentum tantum; ut concipitur formata per gratiam, C. Ad hunc sensum D. M. Contritio interior informis est pars essentialis Sacramenti poenitentiae, C. ut formata per gratiam, N. sic enim est effectus Sacramenti. Similis autem distinctio non cadit in corpus Christi.

Inst. Quamvis corpus Christi sit res & Sacramentum, id non impedit, quin sit pars essentialis Sacramenti: ergo. Prob. Ant. Illi termini, *Sacramentum tantum, res & Sacramentum simul, res tantum*, non adhibentur ad distinguenda essentialia Sacramentorum a non essentialibus; sed ad distinguenda omnia, quae sunt in Sacramentis, sive sint essentialia, sive non: ergo. Prob. Ant. Quando queritur, quid sit Sacramentum tantum? Non responderetur, quod sit signum praeicum gratiae, quod necessario respondendum foret, si Sacramentum ibi sumeretur pro illa re; quae totam materiam Sacramenti designaret; sed dicitur, quod sit illud, quod significat tantum & non significatur, sive illud, quod significat, sit gratia, sive aliquid aliud, ut in presenti casu: ergo. R. Ant. Ad Prob. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Quando queritur, quid sit Sacramentum tantum, non responderetur, quod sit signum praeicum gratiae explicitè, C. implicitè, N. Quando enim responderetur, quod sit id quod significat & non significatur, intelligitur per id, quod significat, ipsa gratia: alioquin non intelligeretur Sacramentum. Potest quidem cum gratia aliquid aliud significare, ut in presenti casu significat gratiam & corpus Christi, in Baptismo gratiam & characterem. Sed si non intelligatur etiam gratia, non erit, ut dixi, Sacramentum, saltem eo sensu, quo hic loquimur de Sacramentis. Similiter quando responderetur, quod id, quod est res & Sacramentum, sit id, quod significat & significatur, intelligitur significatum, quod sit effectus seu res Sacramenti, id est, res significata per Sacramentum; consequenter quod supponat Sacramentum constitutum, ipsum autem non constitutum.

Ex dictis, colliges, nos supra rectè definivisse Eucharistiam. 1. physice, quod sit *Species panis & vini consecrata sub praescripta verborum forma, continentes corpus, & sanguinem Christi, ad causandam gratiam cibantem*. 2. Metaphysice *Sacramentum corporis & sanguinis Domini ad spiritualem animae refectionem*.

ARTICULUS II.

Utrum Sacramentum Eucharistiae sit unum, vel plura?

Quesitio est de unitate & pluralitate, tam specifica, quam numerica, non in genere physico; certum est enim, quod species panis differant specie physica à speciebus vini, & quod haec species panis physice numero differant ab aliis speciebus panis; sed in genere morali, seu arteficii sacramentalis. Consideramus enim hic Eucharistiam formaliter sub ratione signi, sub qua est Sacramentum & artefactum morale.

Dico 1. (Hic q. 73. art. 2. o.) Eucharistia est unum specie Sacramentum. Est communior & certa, tradita a Catech. Trid. p. 2. de Euchar. num. 10. his verbis: *Licet sint duo elementa, panis scilicet & vinum, ex quibus integrum Eucharistiae Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiae auctoritate doceri confitemur: aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque Conciliis Lateranensi, Florentino & Tridentino decretum est, constare non poterit.*

Prob. ratione Theologica. (ib.) Sacramentum formaliter est signum praeicum, consequenter ejus unitas vel pluralitas specifica repeti debet ex unitate vel pluralitate specifica termini seu finis, & effectus significati: signum enim est in genere relationis, quae specificatur a suo termino; unde dicitur unum signum, quod unum tantum significat, licet ex diversis partibus materialiter componatur, ut patet in imagine apposita Taber-

nae; atqui unum est specie finis seu terminus & effectus significatus Sacramenti Eucharistiae: ergo. Prob. Min. Sacramentum Eucharistiae, quamvis speciebus panis & vini physice distinctis sit compositum, ordinatur ad unam specie refectionem spiritualem tamquam ad finem & effectum significatum, sicut cibus & potus materiales ordinantur ad unam refectionem corporalem; ergo. Patet Ant. Quia definitur Eucharistia Sacramentum corporis & sanguinis Christi ad spiritualem animae refectionem. Sicut autem duo requiruntur ad refectionem corporalem, scilicet cibus & potus, ita cibus & potus spirituales requiruntur ad spiritualem refectionem, & illa spiritualis refectio est una specie, quia eandem specie gratiam cibantem producent ambe species: ergo. (Ibid. ad 1.) Unde Ecclesia in collecta dicit, primo in plurali: *Purificati nos Sacramenta, quae sumpsimus*: deinde addit in singulari: *Hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad peccatum*; quatenus continet res specie physica diversas; unam autem formaliter, quia haec plura ordinantur ad unum significandum & efficiendum. Sic in Extrema Unctione sunt plures unctiones, & tamen unum Sacramentum, quia istae plures unctiones ordinantur ad unum finem & effectum, qui est tollere reliquias peccatorum. Sic domus quamvis constet diversis partibus, est tamen una domus, unum artefactum, quia ordinatur ad unius familiae habitationem.

Hinc inferes, unitatem specificam hujus Sacramenti non esse repetendam, ut quidam volunt, ex unitate corporis Christi; tum quia in eo consistit, ut dicitur est Art. Praeced. tum quia forte unum numero Sacramentum in tota Ecclesia, cum sit unum numero corpus Christi: neque ex institutione, ut volunt alii; tum quia institutio pertinet ad causam efficientem, non formalem, quae sola specificat; tum quia Christus potuit una institutione plura specie Sacramenta instituire.

Dices. In Eucharistia sunt plura signa, ergo plura Sacramenta. Patet Cons. Signum est genus ad Sacramentum: non potest autem multiplicari genus, quin multiplicetur species. R. D. Ant. (Ibid. ad 2.) In Eucharistia sunt plura signa materialiter, seu inadaequata, C. formaliter, & adaequata, N. Equidem species panis significant cibum spirituale, species vini potum, sed ex utraque significatione partiali integratur & perficitur una significatio totalis, quae significatur una specie refectionis, ad quam requiritur cibus & potus. Unde ad eundem sensum, D. Cons. ergo sunt plura Sacramenta inadaequata, C. adaequata, N.

Inst. 1. Qui solum speciem panis sumit, recipit totum & integrum Sacramentum; similiter, qui solum speciem vini sumit: ergo quilibet est totum & integrum Sacramentum. R. D. Ant. Recipit totum & integrum Sacramentum materialiter, seu ex parte rei contentae & significatae, C. quia non solum recipit corpus Christi, sed etiam sanguinem per concomitantiam, sicque totam gratiam cibantem: recipit totum & integrum Sacramentum formaliter in ratione signi, N. species enim panis significat solum cibum, qui non sufficit ad integrum refectionem, quam debet significare Eucharistia.

Inst. 2. Qui recipit solum speciem panis, recipit totum & integrum Sacramentum in ratione signi: ergo. Prob. Ant. Sola species panis, ex dictis, producit totum, & integrum effectum Sacramenti: ergo illum significat. Sacramenta enim significant, quod efficiunt. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Sola species panis producit totum & integrum effectum Sacramenti concomitanter, C. formaliter N. similiter, D. Cons. ergo illum significat concomitanter. C. formaliter N. formaliter enim species panis significat tantum corpus Christi ut cibum: sed quia non corpus vivum sine sanguine, per concomitantiam significat sanguinem.

Dico 2. Sacramentum Eucharistiae specie unum, est multiplex numero. Prob. Sacramentum Eucharistiae supponit pro speciebus consecratis in ordine ad assumptionem, & in illis essentialiter consistit, ut dicitur est Art. Praeced. atque species in diversis Ecclesiis consecratæ sunt numero plures, & ad refectionem numero plures ordinantur: ergo. Confirm. Quando sunt plures materiae, & plures formae numero distinctae, sunt plura Sacramenta numero distincta; atque, quando plures Sacerdotes celebrant in diversis Ecclesiis, sunt plures materiae, & formae numero distinctae: ergo.

Dices. Si Filius Dei assumeret plures humanitates, esset unus homo, & si idem subjectum bilocatum haberet duas albedines, esset unum numero album: ergo, quamvis Christus existat in diversis speciebus, est unum numero Sacramentum. R. N. Cons. Disparitas est, quod unitas numerica hominis sumatur ab unitate suppositi vel subsistentiae, & unitas numerica accidentis ex unitate numerica subjecti: in casibus autem instantiae foret unum numero suppositum, & unum numero subjectum. At species sacramentales non sunt in corpore Christi tanquam in supposito, vel subjecto.

Re-

Repones. Apost. 1. Cor. 10. probat omnes Fideles esse unum corpus mysticum, quia de uno pane participant: *Unum corpus, inquit, multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*: ergo est unum numero Sacramentum Eucharistiae. R. Apostolum sumere panem, seu species panis pro corpore Christi, sub illis contentis: unde sensus ejus est, quod, sicut est unum corpus Christi, quo aluntur spiritualiter Fideles, ita sunt hi unum corpus Christi mysticum.

Replicabis. Hoc Sacramentum est unum in ratione Sacrificii: ergo & in ratione Sacramenti. R. N. Ant. simpliciter loquendo. Quamvis enim dicitur unum ratione principalis officientis, qui est unus scilicet Christus, & ratione unius rei oblatæ; simpliciter tamen loquendo est multiplex, quia est multiplex oblatio, & immolatio mystica. Fuit ergo unum eventum Sacrificii, sed est multiplex incrementum.

Dico 3. Unitas, vel pluralitas numerica Sacramenti Eucharistiae non desumitur ab unitate, vel pluralitate specierum, neque ab una, vel multiplice consecratione; sed ab ordine ad unum, vel plures refectiones. Prob. Eucharistia est instituta per modum convivii spiritualis, consequenter de illo loquendum est secundum analogiam, quam habet ad convivium materiale; atque unitas, vel pluralitas numerica in convivio materiali non sumitur ex unitate, vel pluralitate ferecentium, sicut enim, si plures ex uno fereculo sumant, erunt plures refectiones, & plura convivium, ita si unus ex pluribus fereculis continuat summat, erit unum convivium. Neque sumitur ex una, vel pluribus actionibus preparatis, cum unum convivium possit pluribus actionibus preparari, & e contra multiplex convivium una actione contineri: sed sumitur a fereculo, sicut ordinatur ad unum, vel multiplex refectionem: ergo similiter unitas, vel pluralitas numerica in Sacramento Eucharistiae non sumitur ex unitate, vel pluralitate specierum praesertim, ex una, vel multiplice consecratione, sed ex ordine ad unum, vel multiplex refectionem spirituale. Unde, si unus simul, vel continuat sumat plures hostias, est unum Sacramentum, quia est una refectionis: si idem pluries in diverso tempore sumat, sunt plura Sacramenta, quia sunt plures refectiones: licet, si plures ex eadem hostia in partes divisa sumant, erunt plura Sacramenta, quia plures erunt refectiones; tot sunt enim refectiones, quot sunt refectiones.

Neque inde sequitur, fieri novum Sacramentum sine nova consecratione, sed tantum id, quod erat unum factum consecratione, fieri multiplex divisione: sicut, cum aqua dividitur in partes, non fit nova aqua, sed facta multiplicatur discontinuatione.

Dices. Sacramentum Eucharistiae, antequam sumatur, est unum, vel multiplex, existit enim: ergo. R. D. Ant. Sacramentum Eucharistiae, antequam sumatur, est unum, vel multiplex in actu 1. C. in actu 2. N. Sicut itaque convivium paratum, & eidem mense appositum est unum convivium in actu primo; dum autem in plures refectiones a pluribus sumentibus dividitur, fit multiplex in actu secundo; sic plures hostiae consecratae, in eodem altari, seu ciborio repositae, sunt unum convivium, & unum Sacramentum in actu 1. dum autem a pluribus sumitur, fit multiplex in actu 2. quia sunt plures refectiones. Reflexio, hic agi de unitate, vel pluralitate morali, ut praemonuimus.

ARTICULUS III.

Quando in Sacramentum Eucharistiae fuerit institutum?

Suppono, ut Fide certum, Christum hoc Sacramentum instituisse in ultima cena, pridè quam pateretur. Id constat ex tribus Evangelistis Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. referentibus institutionem hujus Sacramenti ad cenam, quam Christus habuit cum suis Discipulis pridè mortis suae: & ex Apostolo 1. Cor. 11. *Nocte qua tradebatur*, &c. Atque ita definitum est in Concil. Viennensi Clement. de reliquiis, & in Trid. sess. 13. c. 1. Unde Ecclesia in Canone Missae: *Pridè quam pateretur, accepit panem, &c.* Hujus facti tres congruentes profert Auctor (Hic q. 83. art. 5. o.) 1. Quia conveniebat, ut tunc cum Christus in propriis specie a Discipulis recessurus erat, se ipsum ad solatium in sacramentali specie reverentiam exhiberet. 2. conveniens fuit, ut, imminente passione, celebrato priori Sacramento Agni Paschalis, quod erat illius Passio praefigurativum, loco istius novum institueret, quod est ejusdem Passiois rememorativum in posterum, quale est Eucharistia: sine enim fide Passiois Christi nunquam potuit esse salus, secundum illud ad Rom. 3. *Quem propositum Deus propitiationem per fidem in sanguine Iesus* 3. Ea, quae ultimo dicuntur, & sunt, praesertim ab amicis recedentibus, magis memorie commendantur, quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos: ea vero, ad quae magis afficimur, profundius Theol. Billuare. Pars Tertia.

animo imprimuntur. Unde ergo, ut hujus Sacramenti altitudo magis commendaretur, & profundius cordibus, & memoris Apostolorum ingereretur, conveniens fuit, ut in ultimo ab eis discensu illud insuiteret. Haec, inquam, certa sunt apud omnes.

Verum gravis est controversia, qua die Christus ultimum cenam celebravit. Communis sententia Latinorum est, ipsum ultimum cenam Agni Paschalis celebrasse vespere 2. Iunae, seu die 14. hoc est, feria 5. ad vesp. ram. Graeci e contra, ut sum de fermentato unum teneant, tenent Christum uno die anticipasse cenam Agni Paschalis; & hanc cenam celebrasse 2. vespere Iunae 13. Christus enim juxta ipsos crucifixus est Iunae 14. seu feria 5. non 6. Aloysius Legionensis, & Basilus Poncius, quibus praevire Stella, & Obaster, censent pariter Christum celebrasse Pascha Iunae 13. ad vesp. ram, non quod Christus anteverterit cenam Agni Paschalis, sed quia arbitrantur hanc solemnitatem incipere vespere 2. Iunae 13. Pro hujus controversiae resolutione, atque intelligentia,

Observandum 1. Tres dierum differentias distingui apud Judaeos, naturalium, artificialium, & legalium, seu festivarum. Dies naturalis accipiebatur sicut apud nos a media nocte ad mediam noctem. Artificialis ab ortu ad occasum solis; & ideo non erat fixus, sed modo longior, modo brevior, secundum quod sol prius, aut tardius oriebatur, & occidebat. Distribuitur in 4. partes, seu horas, quarum quilibet complectebatur tres ex nostris, in primam, tertiam, sextam, & nonam. Prima computabatur ab ortu solis ad horam 9. nostram circiter. Tertia a nona hora ad 12. Sexta a 12. hora ad tertiam. Nona a tertia hora ad occasum solis. Dies legalis, seu festiva accipiebatur a vespere praecedentis diei ad vespere sequentis, eo modo quo festa nostra quoad officium accipiuntur, juxta legem Levit. 23. *A vespere ad vespere celebrabitis Sabbatha vestra*. Per Sabbatha autem intelliguntur ibi etiam Festa sabbatum requiescentium. Excipitur festivitas Agni Paschalis, si tamen debeat dici festivitas, consistebat enim in sola immolatione, & est Agni Paschalis: incipiebat sub secundis vespere Iunae decimae quartae, nec ulterius extendebatur, coincidebat cum initio Festi azymorum, quod erat Iunae 15. quodque incipiebat a secundis vespere Iunae 14. Festum Azymorum complectebatur 7. dies integros, quorum priores, & ultimus erant solemnissimi: omnes vocabantur Paschales, ratione potioris victimae initio immolatae, scilicet Agni Paschalis. Haec constat ex e. 12. Exodi, ubi sic legitur: *Loquimini ad universum caetum Filiorum Israel, & dicitis eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas... Et servabitis eum usque ad 14. diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vespere. Et samesit de sanguine ejus, ac ponet super utrumque partem, & in superliminaribus domorum, in quibus comederit illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactuicis... Septem diebus azyma comeditis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicunque comederit fermentatum, peribit anima de Israel, a primo die usque ad diem 7. Dies prima erit sancta atque solemnitas, & dies septima eadem festivitate venerabilis... Primo mense 14. die mensis ad vespere am, comeditis azyma, usque ad diem 21. ejusdem mensis ad vespere am. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris &c.*

Observandum 2. Pascha, seu Phase, id est transitum, institutum fuisse in memoriam singularis beneficii, quo Angelus transiens per Aegyptum primogenitos Aegyptiorum interiecit rat intactis Hebraeis. Festum Azymorum in memoriam alterius beneficii priori succedentis, quo Hebraei adeo festinanter egressi sunt de Aegypto, ut, cum non possent fermentare panes, Azymos comerant. Exod. ibid.

Observandum 3. Vespere apud Judaeos habere quasi duas partes: primam a declinatione solis, seu a meridie; alteram a crepusculo post occasum solis. Tempore autem medio inter has duas vespere mundabatur domus a fermentato, deinde celebrabatur Pascha. Observandum 4. Judaeos menses a Novilunio inchoare. Unde apud ipsos idem est primus dies, & prima luna. Primus mensis censetur ille, cujus decima quarta dies immediatus sequitur aequinoctium veris. Dicitur Nisan, apud nos Martius. His observatis,

Dico Christus celebravit ultimum Pascha, consequenter Eucharistiam instituit die, seu Iunae 14. exente, hoc est feria 5. ad vespere am. Prob. 1. Christus celebravit ultimum cenam Paschalem 1. die Azymorum, quando necesse erat secundum legem occidi Pascha, & quando Judaei illud immolabant. Ita conceptis terminis tres Evangelistae Matth. 26. *Prima die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha... Et paraverunt Pascha vespere autem facto discumbent cum duodecim discipulis suis. Marc. 14. *Primo die Azymorum quando Pascha immolabant* (Judaei), di-*

Vv

cunt